

ET MORBILLIS.

simpliciter consideratus, vel pituitosus, aut melancholicus. Morbilli verò fiunt à materia magis tenui, calida, siccaque, qualis est sanguis biliosus, quatenus naturam ad expulsionem, aut ebullitionem faciendam stimulat.

20. Nam causa proxima variolarum & morbillorum est natura seu facultas expultrix stimulata, ut per ebullitionem sanguinis non aliter ferè, quàm in musto efferuescente, id quod noxium est ab utili secernat. Ebullitio ista est secundum modum quendam putredinis calore natiuo accenso, vnde febris excitatur. Qualis ebullitio iuxta Auicennam duplex est: vna depuratiua siue perfectiua, quando sanguis ab impuritatibus expurgatur, aut quando dum totum illud, quod aggregatum est, ex succis alimentarijs efferuescit, partes solùm impuriore putrescentes à puris utilibusq; ita segregantur, ut sanguis purus relinquatur. Alia ebullitio corruptiua dicitur, quando in efferuescentia illa partes etiam sanguinis purioris labem acquirunt & computrescunt. Quæ impuritates ab utilibus in totum non segregantur, nisi leuis sit illa corruptio sed portio aliqua tantum, vnde variolæ plerunq; virides, liuidæ, nigræ oriuntur, quæ perniciem minantur. Quocunq; modo fiat ebullitio variolæ & morbilli erumpunt per modum crisis, dum natura per cutem profunda corporis expurgare nititur.

Ebullitio duplex.

21. Febres illæ, quib. variolæ & morbilli vt plurimum superueniunt, ex ebullitione siue efferuescentia sanguinis oriuntur, dum impuritates crassiores aut tenuiores cum sanguine efferuescentes à natura segregantur. Hæ febres vt plurimum sunt synochæ impetuosæ, non semper putridæ quia vniformes sunt, & multum potius quàm acrem calorem præ se ferunt. Verùm febres, quibus morbilli superueniunt, quia ex tenuibus magisq; biliosis succis efferuescentibus oriuntur,

Febris variolarum & morbil.

Hh

tur,